



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1846**

XVII. Derselbe belegt dieselben mit dem Interdict, am 16. April 1270.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54572)

Heine de Zukowe . . quondam Ludekini de Bafdowe, Johannes filius eius, . . quondam Johannis de einecot, . . quondam Guntheri loci eiusdem Relicte vidue et filii eorundem Caminenfis diocesis contra inhibitionem meam temere venientes dictos magistrum et fratres hactenus per maliciam et potenciam suam impedierunt et adhuc impedire non cessant, quominus ipsi magister et fratres possessionem vel quasi bonorum huiusmodi adipiscantur et adepti pacifice gaudeant, ego abbatem, ducem, milites, viduas et laycos prefatos et omnes alios, — qui predictos — hactenus in hoc impedierunt vel deinceps taliter impedire presumpserint non absque dolore cordis in nomine domini auctoritate mihi a sede apostolica in hac parte commissa excommunico per presentes denunciando eos excommunicatos et ab omnibus arctius euitandos. — Dat. — II idus Augusti A. dom. M°. CC°. LX°. IX°. Reddite litteras sub pena predicta.

**XVII. Derselbe belegt dieselben mit dem Interdict, am 16. April 1270.**

— Quia . . abbas de Colbaz ordinis Cisterciensis et Nobilis vir b. dux Sclavorum seu — stettinensis, Johannes de libenowe, Gobelo marschalcus, Arnoldus et theodericus de pinnowe, Thidericus de Cottene, milites, Johannes de Sukove et frater eius, Ludewicus de Wedele, henricus, Johannes et Walterus de . . . . . erus de Sadelowe et Dithmarus frater eius, dicti Stalbam, henricus, Johannes et henricus de Tumerzelize, brendekinus, martinus et fratres eorum, Johannes de Gerbotesdorf et fratres sui, Martinus dictus swache, Johannes de benze, Johannes de valkinberg, Johannes fover henrici dicti yngnade, henricus de Suchowe, Relicta quondam ludekini de bazdowe et Johannes filius eius Caminenfis diocesis dudum excommunicati a me ad instantiam Religiosorum virorum magistri et fratrum sacre domus hospitalis Jerosolymitani in Allamannia pro eo, quod ipsi contra inhibitionem et monicionem meam temere venientes dictos Magistros et fratres per maliciam et potenciam suam impedire, quominus ipsi . . Magister et fratres possessionem vel quasi castri de Rez et de Corichowe, clukini, zukorj, zukowe, Sadelowe, Sulinj et de Tumerzeliz villarum et oppidi de stargart cum suis pertinenciis adipiscerentur et adepti pacifice gauderent, nullam causam rationabilem pretendentes, quare ab impedimento huiusmodi non deberent desistere a sua pertinacia resipiscere non curarunt, Set in ipsa excommunicacionis sententia hactenus misere et dampnabiliter forduerunt et adhuc fordescere non formidant, Ipse eciam b. dux malum malo cumulans in Religiosos viros fratrem Petrum sacerdotem et fratrem Ludewicum Diaconum hospitalis eiusdem de Myrowe abhominabili tyrannide feuiens ipso et quosdam famulos itineris sui socios, qui pro execucione mandati mei immo verius sedis apostolice ad terram ipsius Ducis venerant, equis, indumentis, litteris et aliis rebus temere spoliari et diuersis contumeliis affici et captiuari et in uinculis ac compedibus diutius castigari precepit ausu sacrilego in salutis sue periculum et in contemptum sancte matris Ecclesie clauium et in scandalum plurimorum — Et dignum est quod crescente rebellionis contumacia — crescere debeat et pena, Ego frater albertus de ordine predicatorum Episcopus quondam Ratisponensis executor a sede apostolica deputatus predictam excommunicacionis sententiam per me in eos latam aggrauamus vxores et familias ducis, militum et laicorum predictorum, abbatibus quoque ipsius de Colbaz et relicte prefate — presenti scripto subpono Ecclesiastico interdicto — Memoratum eciam ducem, qui predictos petrum sacerdotem et ludewicum diaconum captiuaui et carcerali custodia mancipaui et omnes suos in hac parte complices et fautores



denuncio ex hoc sententiam canonis incurrisse. Actum Colonie, feria quarta proxima post diem Pasche anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>.

**XVIII. Der Vogt zu Werben mit mehreren Rittern und Bürgern entscheidet einen Streit des Comthurs daselbst mit Bruning von Redichsdorf, am 29. Juli 1271.**

— Henricus aduocatus in Werben, Ruthardus, Johannes et Hyo milites, fratres, dicti de kalverwichs, Gherardus de kirkowe, Vlricus de konnigesmarke nec non chyso de Sconenberg milites Hugo dictus Schel et Henricus de Rengerflage, Ciues in Werben, — Noueritis nos infra scriptas litteras (Nr. XIV) — uidisse — Cum etenim frater Vlricus de velleberg facere domus hospitalis irosol. per faxoniam et flauiam vicepreceptor nec non commendator in Werben et fratres domus eiusdem ex vna et dominus bruningus miles dictus de Redikestorp ex parte altera tam propter debita quam propter alia preiudicia ex utraque parte facta in alterutrum inuicem litigarent, Nos vero supra scripti Milites atque Ciues ad sequestrandam litem . . . fuimus conuocati. Recepta cautione ab ipsis partibus cum obligatione XL<sup>a</sup> marcarum examinati argenti alii parti soluendarum, si quis eorum arbitrio nostre compositionis non pareret, sic decreuimus ordinandum, scilicet vt prefatus bruningus et sui heredes in vna missa in altari sancte Marie ecclesie de Werben celebrata, quam jdem bruningus tempore facte compositionis terciam esse debere affirmabat ammodo absque ulla impulsione domus prelibate aliis duabus missis non taxatis, sint contenti. Preterea proposuerunt coram nobis arbitris ad dictam litem sequestrandam vocatis magister et fratres domus sepe dicte, Quod dominus Hampo de plawe beate memorie de curia dicti bruningi, cum adhuc sua esset, ipsi domui vnum chorum auene annuali pensione persolueret et quod eandem Curiam tali condicione vendidisset, vt possessor eius vnum chorum auene annuatim ipsis fratribus ac domui eorum antedicte similiter persolueret in futurum. Inde taliter ordinauimus, quod de bonis dicti bruningi fitis in Nienkerke videlicet tribus quartalibus vnus mansi, quorum census annualis ad VIII choros auene computatur, jdem dominus Bruningus et eius successores seu heredes singulis annis vnum chorum auene fratribus domus predicte persoluant in perhenne. Et si quod absit dicta bona aquarum submersione uel aliis infortuniis aliquo anno defecerint in fructificando — sepe dictus Bruningus — fratribus et domui eorum sequenti anno duos choros — ministrabunt. — Addicimus insuper vt predicta bona pro celebracione misse prefate donata a fratribus memoratis perpetuo non vendantur et si ydem fratres post XV dierum terminum de sacerdote vt prescriptum est sibi non prouiderunt, eadem bona ipsis occupentur et tam diu occupata detineantur a predicto bruningo vel suis heredibus, Quoadusque sepe dicti fratres de Sacerdote sibi prouideant, qui possit officium misse memorate cum deuotione celebrare. Nos itaque frater Vlricus de velleberg et vniuersi fratres domus in Werben et ego bruningus miles de Redikestorp prefate simul interfuimus compositioni ipsamque vnanimiter acceptauimus atque laudauimus — In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presens instrumentum conferibi fecimus sigillo gloriosi Principis Ottonis dei gracia Marchionis de brandenburg ad hoc rogati nec non Sigillis predictorum fratris Vlrici de velleberg, domini bruningi militis de Redikestorp atque ciuitatis Werben fideliter communitum. Testes autem huius rei sunt videlicet arbitri supradicti Gherardus filius petri, Johannes de libera platea, Henricus bastus et Wedekinus flauus, Ciues in Werben, et alii quam plures fidedigni. Acta sunt hec in Werben, in curia fratrum predictorum, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXI<sup>o</sup>. quarto kal. Augusti.